

trata, quare alium Confessarium, nolo amplius te audire. Neque ex tali recusatione, aut subtractione, fideles a confessione

deterrentur, sed magis ad eam excitantur, ut experientia constat. Et id mihi videtur probabilis.

## DISSERTATIO IX.

## DE SATISFACTIONE.

Div. Thom. Suppl. Q. 12. 13. 14. &amp; 15.

## ARTICULUS I.

Quid &amp; quotuplex sit Satisfactio?

Satisfactio, secundum vim generalem nominis, est omnis illa actio, qua quis facit quantum debet, sive solvendo debitum, sive respondendo expectationi de se conceptæ, sive reddendo sufficientem rationem eorum, de quibus rogatur. Interdum etiam, qui se defendit, & excusat quantum potest, dicitur satisfacere, quo sensu Ambrosius, libr. 10. in Lucam dicit: *Lachrymas Petri lego, satisfactionem*, id est, excusationem, seu defensionem, non lego. Strictius autem sumpta satisfactio significat compensationem, quæ, si fiat ad pondendam æqualitatem in rebus ex damno illato debitis, proprie vocatur *restitutio*: si ad compensandam offensam, seu injuriam illatam, dicitur satisfactio: & sic sumitur hic pro compensatione injuriæ, Deo per peccatum illatæ; & adhuc specialius pro compensatione poenæ temporalis debite ob injuriam, Deo per peccatum illatam. Duo sunt enim in peccato, culpa & poena æterna; pro culpa, poena æterna homo non potest satisfacere de condigno, ut nec justificationem, peccatorumque remissionem mereri; culpa autem, & poena æterna sublatis, sæpè remanet reatus poenæ temporalis, de cujus satisfactione hic potissimum agitur.

Observandum est, aliam esse rationem meriti, aliam satisfactionis. Meritum respicit præmium obtinendum a præmiante, adeoque bonum merentis, aut alterius, cui meretur. Satisfactio respicit jus alienum læsum resarciendum, adeoque bonum offensis, non satisfaciens. Vide de Incarnat. Diss. 19. art. 5. in prænotaminibus.

Dico 1. (Suppl. q. 12. art. 3. o.) Satisfactio pro peccato secundum vim recte definitur: *Compensatio injuriæ Deo illatæ secundum justitiæ æqualitatem*. Dicitur: *Compensatio*, intellige voluntariam; si enim renitenti, & invito ab alio infligatur, non erit satisfactio, prout est actus virtutis, sed satisfactio. Nec obstat, quod satisfactio sacramentalis injungatur a Sacerdote, quia poenitentis ei voluntariè se subjicit, & eam voluntariè sibi infligit. Dicitur, *secundum justitiæ æqualitatem*; non strictam; quia talis non potest esse inter Deum, & hominem, sed secundum quandam proportionem, ut infra explicabitur. Satisfactio autem pro poena temporali restante post remissionem culpæ, & poenæ æternæ definitur: *Solutio poenæ temporalis, peccato debite, per opera bona, & poenalia a Confessario laxata*, si nempe sit sacramentalis, vel spontè suscepta, si sit extrasacramentalis. Et ita differt hæc satisfactio a virtute poenitentiae ut pars a toto, quia Poenitentia adæquatè sumpta est ad remissionem culpæ, & totius poenæ.

Dico 2. (Ib. art. 1. & 2. ad 1.) Satisfactio est actus virtutis justitiæ. Quod sit actus virtutis, patet, quia de ratione virtutis est, quod servet medium, seu mediocritatem; hoc autem importat satisfactio. Tò satis enim dicit medium, seu æqualitatem. Quod sit actus justitiæ, etiam constat ex supra dictis, quia est actus poenitentiae; poenitentia autem est pars potentialis justitiæ, ut dictum est.

Dico 3. Satisfactio alia est æquivalens, seu sufficiens, alia insufficientis. Sufficiens duplex, una ex parte materię, altera ex parte formę. Sufficiens ex parte materię, seu pretii, quæ dicitur communiter de condigno, est quando valor rei oblate æquat ex se in recompensatione debitum; ut si quis debeat centum, & rependat centum, seu rem valentem centum. Si verò res oblata non habeat ex se valorem æquivalentem debitum, dicitur satisfactio imperfecta, seu imperfectè sufficiens ex parte materię, seu pretii. Undè, ut sit sufficiens, debet suppleri quod deest ex acceptance, & gratia creditoris, quatenus illo modico est contentus, reliquum remittens.

Sufficiens, & perfecta ex parte formę, seu modi justitiæ est, quæ non solum offert valorem debiti, sed quæ etiam servat conditiones strictę justitiæ. Communiter assignantur quinque 1. est, ut illa bona, seu materia, ex qua fit compensatio, medium adæquant valorem debiti, sed sint etiam propria ipsius debitoris. 2. quod ita sint propria, ut nullo modo sint sub dominio creditoris. 3. quod non sint alio titulo debita. 4. quod intercedat vera

ratio ad alterum. 5. quod teneatur creditor talem satisfactionem acceptare, ita quod aliam non possit exigere. Si ergo serventur quinque assignate conditiones, dicitur sufficiens, & perfecta ex parte formę, vel communiter, de toto rigore justitiæ. Insufficiens autem, & imperfecta ex parte formę, si aliqua conditio deficiat. 2. Alia est satisfactio, quæ a Sacerdote injungitur, & dicitur sacramentalis. Alia, quæ a poenitente spontè suscipitur, & dicitur extrasacramentalis. 3. Alia publica, alia privata.

Et his omnibus sola ista satisfactio est pars Sacramenti, quam Sacerdos tamquam Dei Minister in hujus Sacramenti dispensatione injungit; hæc enim sola est, quæ a clavibus proficiscitur. Ita observat Catech. Romanus p. 2. c. 5. n. 54.

## ARTICULUS II.

De Possibilitate, &amp; Necessitate satisfactionis.

Dico 1. (Suppl. q. 13. art. 1. o.) Homo non potest Deo satisfacere pro culpa secundum æqualitatem quantitatis, potest secundum æqualitatem proportionis. Prob. 1. Pars. (Ib.) Sic est non potest Deo reddere æquivalentem secundum quantitatem pro debito beneficii accepti, ita nec pro debito peccati commissi. Confim. Injuria per peccatum irrogata Deo est infinita, eo quod offendat personam dignitatis infinite; honor autem, quem satisfactio hominis exhibet Deo, est finitus, & longè inferior, quia est personæ dignitatis finitæ: ergo, potissimum rationem latius deductam require in Tract. de Incarnat. Diss. 3. art. 2. §. 2. Prob. 2. Pars 1. (Ib. in arg. s. o.) Deus non præcipit impossibilia; atqui præcipit satisfactionem, ut dicam modo: ergo. 2. Dum reddimus Deo, quod possumus, pro beneficii accepti, fit illi satis, quia non exigit impossibile; estque ibi æqualitas, non secundum quantitatem, sed secundum proportionem, in quantum, sicut Deus nobis beneficit, secundum quod deest ejus bonitatem, & potentiam, ita nos ipsi reddimus secundum possibilitatem nostram: ergo similiter, dum illi reddimus pro offensa compensationem, quam possumus, & exigit, fit illi satis; & est pariter æqualitas proportionis, in quantum, sicut per peccatum ex toto offendetur, & ex toto illi compensatio debetur, ita ipsi ex toto, seu ex tota possibilitate redditur.

Dico 2. Ille, cujus totum quod habet non sufficit ad unum debitum exsolvendum, non potest pro alio debito satisfacere; sed quidquid homo est, & potest & habet, non sufficit ad exsolvendum debitum pro beneficio creationis: undè Isaiæ 40. dicitur: *Ligna Libani non sufficiunt ad holocaustum*: ergo nullo modo potest satisfacere pro debito offensæ commissæ. R. D. Maj. (Ibid. ad 3.) Ille, cujus totum quod habet non sufficit ad unum debitum exsolvendum, non potest pro alio satisfacere, si totum quod habet, exigatur ad unum debitum, C. si totum non exigatur ad unum debitum, Subd. Non potest satisfacere secundum æqualitatem quantitatis, C. secundum æqualitatem proportionis, & sufficienter, N. Et distincta Min. ad sensum Maj. pariter D. Cons. Ergo homo non potest satisfacere Deo pro debito offensæ commissæ ad æqualitatem quantitatis, C. ad æqualitatem proportionis, & sufficienter, N. Igitur, quamvis totum suum posse homo Deo debeat, non tamen ab eo exigatur de necessitate salutis, ut totum quod potest faciat; quia est ipsi impossibile secundum statum præsentis vitæ, ut totum posse suum in aliquid unum expendat, cum oportet eum circa multa esse sollicitum. Sed est quædam mensura homini a Deo adhibita, quæ ab eo requiritur, scilicet impletio Mandatorum Dei, & super ea potest aliquid erogare, ut satisfactio pro aliis debitis.

Dico 2. Culpa, & poena æterna remissis, potest homo satisfacere de condigno pro poena temporali peccato debita, non tamen secundum rigorem, & apices justitiæ. Supponit hæc conclusio post remissionem culpæ, & poenæ æternæ, posse remanere reatum culpæ temporalis, de quo modo. Prob. 1. Pars. Satisfactio dicitur de condigno, quæ est æqualis, & perfecta ex parte materię, seu pretii, hoc est, quæ tantum exhibet quantum debetur, ut, si quis debeat centum, solvat centum;

## DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

atque satisfactiones nostræ possunt esse æquales ex parte materię poenæ temporali peccato debite: ergo. Prob. Min. Poena illa est infinita: ergo potest adæquari per satisfactionem finitam.

Dico 2. Poena temporalis debita peccatis est poena Purgatorii; hæc autem poena est alterius & superioris ordinis ad poenas hujus vitæ; atqui, qui solvit pretium ordinis inferioris, non solvit condignè: ergo. R. & simul instauratur ratio factæ D. Maj. Poena Purgatorii est alterius & superioris rationis ad poenas hujus vitæ in esse physico, C. Maj. in esse moris, N. Maj. Nostræ enim poenæ satisfactoriæ in hac vita valorem moralem sumunt ex gratia & meritis Christi, qui valor coequari potest poenis Purgatorii solvendis & redimendis, dignisque, cuius intuitu Deus ultiores poenas non infligit.

Prob. 2. pars. Ut satisfactio sit de rigore justitiæ, non tantum requiritur, quod sit perfecta & æqualis ex parte materię; sed etiam ex parte formę, hoc est, quod non fundetur in gratia creditoris, quod fiat ex bonis debitori propriis, quæ non sunt sub dominio creditoris, & quæ creditor alio titulo exigere non potest; atqui illæ conditiones reperiri nequeunt in nostris satisfactoriis, cum fundentur in gratia Dei creditoris, fiant ex bonis, quorum ipse est Dominus, & quæ possit, si vellet, alio titulo, quam satisfaciens, a nobis exigere: ergo.

Dico 3. Necessaria est peccatoribus satisfactio non solum ad aliorum exemplum, ædificationem, & satisfactionem Ecclesiæ, atque præcavendam peccata futura, ut voluit Lutherani & Calvinistæ, sed etiam ad reparandam poenam temporalem, quæ post remissionem culpæ & poenæ æternæ remanet luenda in hoc sæculo, vel in purgatorio.

Prob. 1. Ex Scripturis in Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro in jejuniis, fletu, & plangitibus*. Job ultimo: *Ago poenitentiam in favilla & cinere*. Daniel 4. *Peccata tua elemosinis redime, & iniquitates tuas misericorditer pauperum, fors au ignoscet delictis tuis*. Matth. 3. & Luc. 3. Joannes Judæis ad se poenitentis causa accedentibus dicebat: *Quis vobis ostendit fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos poenitentiae*. 1. Cor. 11. *Dum judicamur, a Domino corrigimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. Ex his itaque constat, satisfactionem esse præceptam & necessariam, non solum ad aliorum exemplum & Ecclesiæ ædificationem, sed ad redimendam poenam, ad placandam Dei iram, & ad vitandam damnationem Insupèr, & potissimum, secundum Scripturam, SS. Patres & Trid. post dimissam culpam & poenam æternam remanet ordinariè poena temporalis, in hoc vel altero sæculo luenda: ut ex professo probavimus Diss. 3. hujus Tract. art. 1. §. 2. Require: ergo necesse est illi satisfieri.

Prob. 2. ex definitionibus Ecclesiæ. Trid. Sess. 6. c. 14. dicit: *Decendum est, christianis hominibus poenitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non modo cessationem a peccatis & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum; verum etiam contritionem Sacramentalem confessionem saltem in voto & suo tempore faciendam, & Sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia, elemosinas, orationes & alia spiritualis vite exercitia: non quidem pro poena æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto, una cum culpa remittitur, sed pro poena temporali, quæ, ut sacra littera docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratia Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum S. contristaverunt, & templum Dei violare non sunt veriti*. Et sess. 14. can. 12. 13. 14. & 15. sub anathemate definit, post dimissam culpam & poenam æternam sæpè remanere temporalem, eique satisfieri poenis a Deo inflictis, vel a Sacerdote injunctis, vel spontè susceptis, neque iis satisfactionibus obscurari satisfactionem Christi: item datas esse Ecclesiæ claves, non solum ad solvendum, sed etiam ad ligandum per injunctionem satisfactionum; quod constat ex ipsa institutione Sacramenti. Lege etiam de poenit. D. 1. cap. *Forrò illi 7.* & cap. *Nullus 12.* Item S. Pius V. & Gregor. XIII. damnaverunt hanc propositionem inter Balianas 76. *Satisfactioes laboriosæ justificariorum non valent expiare de condigno poenam temporalem, remanentem post culpam condonatam*.

Prob. 3. ex Patribus. Tertullianus l. de poenit. c. 6. *Poenitentia compensatio*, inquit, *redimendam proponit Deus impenitentem c. 9. In quantum non peperceris tibi, in tantum Deus, crede, parcat*. Cyprianus Tract. de lapsis: *Dominus nostra satisfactione placandus est*. Ambrosius ad Virginem lapam c. 8. *Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem*. Et l. 7. in Luc. n. 156. *Sicut, qui pecunias solvunt, debitum reddunt, nec prius evacuatur senioris nomen, quam tantus sortis ad numerum usque quocumque solutionis generæ quantitas uniuersa solvatur; sic compensatio charitatis, actuumque reliquorum, vel satisfactione quacunque, peccati poena dissolvitur*. Aug. Sermon. 35. alia 50. inter 50. *Non sufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta*

sunt, satisfiat Deo per poenitentiam dolorem, per humilitatis gemitum, per contritum cordis sacrificium cooperantibus elemosinis. Plures non refero, quia omnes ferè nobis concedit Calvinus: *Parum mi movent*, inquit libr. 3. Instit. cap. 4. §. 38. *quæ in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter omnes ferè, quorum libri extant, aut in parte lapsos esse, aut nimis asperè & durè locutos*. Sic modestè Religiois reformatæ austerus Patens.

Solvuntur objectiones contra ultimam Conclusionem.

Plures & præcipuas objectiones hæc spectantes proposuimus & solvimus Diss. citata 3. art. 1. §. 2. Vide & habeto pro hoc propositis & solutis.

Obj. Insupèr. Quæ protulimus ex Scripturis & Patribus, nihil probant: ergo nihil. Prob. Ant. Probant, si quid probet, imponenda esse opera satisfactoria pro culpæ & poenæ æternæ remissione; atqui juxta Trid. cit. Sess. 6. c. 14. non imponitur satisfactio pro culpæ & poenæ æternæ remissione: ergo. R. N. Ad probat. D. Min. Non imponitur satisfactio pro remissione culpæ & poenæ æternæ, tamquam illius meritoria & satisfactoria de condigno, C. tamquam præparatoria, & impetratoria, N. Opera ergo, quæ præcedunt reconciliationem, & quæ commendantur a SS. Patribus, cum sint facta extrà gratiam, non merentur de condigno ipsius culpæ & poenæ æternæ remissionem, ut probavimus dum de gratia: si tamen fiant ex gratia actuali convertente cor a peccato ad Deum, se habent per modum præparationis & impetrationis ad ipsam remissionem culpæ & poenæ æternæ, ut docet Trid. sess. 6. c. 6. & Sess. 14. cap. 1. 2. 3. & 4. Operibus autem, quæ ipsam reconciliationem sequuntur, nihil deest, ut satisfaciant de condigno pro poena temporali, ut probatum est.

Inst. Per Baptismum remittuntur peccata sicut per poenitentiam; atqui in Baptismo nulla satisfactio præscribitur: ergo. Idem Sacerdotes absolvent a culpa & poena æternæ: quidni a temporali? R. ad 1. disparitas est, quod Baptismum conferatur per modum regenerationis in novam vitam, in qua nihil de veteri debet remanere; sique remittitur, ut, qui ante Baptismum ignorantes peccaverunt, & culpa, & omnis poena. At Sacramentum Poenitentiae est institutum per modum judicii, cuius est punire delicta. Insupèr æquum est, ut, qui ante Baptismum ignorantes peccaverunt, qui majori indulgentia recipiantur, quam qui gratia Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum S. contristaverunt, & templum Dei violaverunt, ut loquitur Trid. cit. Ad 2. Sacerdotes remittunt peccata ut instrumenta & Ministri Dei, consequenter secundum ejus voluntatem & institutionem. Placuit autem Deo instituire Sacramentum ad solvendum & ligandum, nec semper remittere totam poenam, sed partem servare luendam operibus satisfactoriis.

## CONSECTARIA.

De satisfactione necessariò injungenda a Sacerdote.

EX dictis colliges 1. (Suppl. q. 18. art. 3. o.) Confessarius non posse & teneri injungere satisfactionem poenitentis. Posse quidem; tum quia ex institutione Sacramenti Matth. 16. & 18. habet potestatem non solum solvendi, sed etiam ligandi ad poenam; tum quia operatio Sacerdotis in usu clavium est conformis operationi Dei, cuius est Minister; Deus autem potest ligare ad poenam: ergo. Teneri verò etiam constat: quia Sacerdos in hoc Tribunali est Dei Minister, & Poenitentis iudex & medicus. Ut Dei Minister teneatur quantum est ex se efficere, ut Sacramentum sit integrum per satisfactionem, quæ est ejus pars integralis, ut alibi diximus. Ut iudex debet servare æquitatem inter Deum & peccatorem, ejus peccatum vindicando. Ut medicus debet Poenitentis vulnera curare, & futura præcavere. Utrunque consecrarii partem definiit Trid. Sess. 14. c. 8. & can. 15.

Colliges 2. quod, cum satisfactio non sit pars essentialis, sed integralis tantum Sacramenti, non sit necessaria necessitate Sacramenti, scilicet ut subsistat, sed necessitate præcepti tantum, seu, si vis, necessitate Sacramenti, ut sit integrum; ita quod sit satisfactio esset impossibilis, ut in agonizante, aut ex revelatione sciretur nullam amplius deberi peccatis satisfactionem, & poenitentem esse sufficienter primum contra relapsus, posse licite administrari Sacramentum absque satisfactionis injunctione: non enim dicitur mutilum Sacramentum, nisi cum privata integritate debita & possibili.

Colliges 3. extrà hunc duplicem casum obligationem injungendi satisfactionem esse gravem; quia gravis est irreverentia Sacramenti, quod maneat mutilum, dum integrari potest & debet, graveque nocumentum inferatur Poenitenti, qui inde manet obnoxius poenis longè gravioribus luendis, & privatur



remedio contra futura peccata. Unde peccaret mortaliter Confessarius, qui non solum pro peccatis mortalibus, sed etiam pro venialibus, aut mortalibus jam confessis, nullam injungeret satisfactionem, nisi ex inadvertentia excusaretur. Neque refert, quod satisfactio pro solis venialibus, aut mortalibus jam confessis videatur quid leve; est id sit ita secundum se, est tamen respectu Sacramenti, quod manet mutilum, quid grave in ratione irreverentiae. Unde Confessarius pro novo peccato oblitto addito post absolutionem, si novam conferat absolutionem, debet novam injungere satisfactionem.

Quod verò quidam dicunt, posse etiam omitti satisfactionem injunctionem, si prudenter judicetur poenitentem per praevia opera plenè satisfecisse, aut satisfacturum per indulgentias mox lucrandas, non admittimus saltem in praxi; quia videtur, quòd neutrum possit prudenter judicari. Quis enim sine revelatione scire potest, quanta poena debeatur peccatis, aut an sit plenè lucraturus indulgentiam? In his ergo casibus semper injungenda est satisfactio, levior tamen.

## ARTICULUS III.

Quando sit implenda & imponenda satisfactio?

**D**ico 1. Non est necesse adimplere satisfactionem ante absolutionem; & Confessarius per se loquendo, nec potest, nec debet ad id cogere poenitentem confessum, aliunde ritè dispositum. Prob. 1. Pars. 1. Quia satisfactio non est pars essentialis Sacramenti, sed integralis tantum, sine qua idè subsistere potest, & què illi jam constituto advenire potest. Adde, quòd contritio & confessio, quae praemittuntur absolutioni, habeant aliquam rationem satisfactionis.

Prob. 2. ex veteri Ecclesiae disciplina. Dato nunc gratis, quòd alibi expendimus, in prioribus saeculis satisfactionem ordinariè praemissam fuisse absolutioni; certum est, saltem in pluribus casibus contrariam disciplinam observatam fuisse, & absolutionem satisfactioni praeviasse: 1. Instante periculo mortis, ex C. n. 13. Concilii I. Nicensi: 2. Instante persecutione, ex S. Cypriano Ep. 54. 3. Cum periculum erat, ne per dilationem absolutionis poenitentes ad haereticos decederent, ex S. Cypriano Ep. 52. vel spes ex Indulgentia, plures reversuros ad Ecclesiam, ex Cornelio Papa, Ep. inter Cyprianicas 46. 4. Cum poenitentes vehementer de peccatis dolorem ostendebant, ex Greg. Nys. Ep. Canon. can. 5. Denique, cum poenitentes muniti erant libellis Martyrum, ex Cypriano Ep. 16. Haec, inquam, Conclusionem probant, etiam in hypotesi, quam plures sustinent, olim de lege ordinaria praemissam fuisse satisfactionem absolutioni sacramentali; quam tamen hypotesim impugnavimus in Digressione historica, inferius subjicienda.

Prob. 3. Ex praesenti Ecclesiae disciplina, quae, si non semper viguit, saltem a pluribus saeculis ubique viget, conferendi absolutionem ante adimpletam satisfactionem, ut omnibus pervium est. Hanc autem Ecclesiae praxim tamquam abusum inculpare demandè temeritatis est, contra quam non semel insurrexerunt summi Pontifices, ut patet ex sequentibus propositionibus damnatis. 1. *Poenitentes non sunt absolventi, nisi peccata gravis poenitentia eis injuncta*; est Petri de Osma damnata a Sixto IV. ann. 1478. 2. *Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induci, non polita, aut indulto Ecclesiae, sed ipsa Christi lex & prescriptio, natura rei id ipsum quodammodo dicente*; est 16. inter damnatas ab Alexandro VIII. 20. Decembris 1690. 3. *Per illam praxim mos absolventi ordo poenitentiae est inversus*; est 17. ab eodem damnata. 4. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Poenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu*; est 18. ab eodem proscripta. 5. *Modus, plenus sapientia, lumine & charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiae Dei, antequam reconciliantur*; est 87. inter Questionarias. 6. *Ignoramus, quid sit peccatum & vera poenitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem*; est 88. inter easdem.

Ex his sequitur a. pars Conclusionis, scilicet, Confessarium per se loquendo nec posse, nec debere cogere poenitentem confessum, & ritè dispositum ad praemittendam satisfactionem absolutioni: 1. Quia non licet privato a communi Ecclesiae praxi in re tam gravi recedere. 2. Quia poenitens confessus, & aliunde ritè dispositus, habet jus ad absolutionem statim recipiendam, nec absque gravi injuria illi denegari, aut differri potest, cum ipsius maxime inter sit non diutius manere in statu peccati, & statim in Dei amicitiam redintegrari. 3. Quia satisfactio post absolutionem in statu gratiae perfecta est me-

ritoria, Deo gratior, & longè efficacior ad satisfaciendum pro peccatis praeteritis, & ad praevendenda futura, quam ante absolutionem in statu peccati.

**D**ixi: *Per se loquendo, & aliunde ritè dispositum*: quia si Confessarius advertat, poenitentes esse negligentes in adimplendis satisfactionibus, aut dubitet de ejus legitima dispositione, ut contingere potest in consuetudinariis, & frequenter recidivis, potest, nulla urgente necessitate, ipsum ad praemittendam satisfactionem saltem ex parte adstringere.

**D**ices. Juxta SS. Patres absolutio peccatorum est fructus operum poenitentiae; dicunt enim iis iram Dei placari, misericordiam reconciliari, peccata condonari, & similia: ergo sunt absolutioni praemittenda. R. N. Conseq. ad sensum argumenti. Si enim SS. Patres loquantur de remissione peccatorum, quoad culpam & poenam aeternam, nihil aliud intendunt, quam inculcare necessitatem poenitentiae, sive ut est virtus, sive ut est Sacramentum; hanc enim remissionem non concedit Deus, nisi vel perfectè contritus corde, vel confessis ore per absolutionem sacramentalem: & haec vera sunt & praecipua poenitentiae opera. Quòd si videantur loqui etiam de aliis operibus satisfactoriis, ea requirunt, non ut absolutio necessaria huic remissioni, sed ut congrua ad ejus praeparationem & impetrationem, ut dixi Art. praecedenti. Si tandem loquantur de remissione peccatorum quoad poenam temporalem, huic fatemur praemittendam esse satisfactionem.

**D**ico 2. Satisfactio potest imponi ante, vel statim post absolutionem; quia utroque modo censetur moralitè conjungi certis partibus Sacramenti, & in eo fieri. Convenientius tamen imponitur ante absolutionem; quia sic materia praesupponitur expressius formae.

**D**ico 3. Implenda est satisfactio injuncta quam primò commode fieri potest, si nullum tempus sit praefixum; quia id potest tunc Sacramenti integritas, cum ratio medicinae, tum justa sententia Judicis. Si vero aliquod tempus sit praefixum, intrà illud est adimplenda. Quòd si tempore statuto non sit adimpleta, non idè cessat obligatio, quia principale, quod in ea spectatur, non est circumstantia temporis, sed opus praescriptum. In utroque autem casu in unum vel alterum diem differre, non videtur quid grave, nisi fortè in termino praefigendo circumstantiam temporis aequè principalitè intendat Confessarius, ut v. gr. jejunium in Vigilia alicujus Festi in ejus cultum & honorem.

## ARTICULUS IV.

Utrum poenitens teneatur acceptare poenitentiam injunctam, & acceptam adimplere; cave possit ab aliquo commutari?

**D**ico 1. Tenetur poenitens sub gravi peccato acceptare poenitentiam rationabilem, & acceptam implere, sive sit in vindictam praeteriti, sive in medicinam futuri. Prob. 1. In Saecerdote est potestas ligandi, seu obligandi ad satisfactionem, ut patet ex dictis Art. praeced. & ex Concilio Trid. sess. 14. c. 8. ubi dicitur, esse in Confessariis claves Ad ligandum, non solum ad novae vitae custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam & castigationem; atque potestas obligandi in uno, supponit obligationem parendi in subdito, alias frustranea esset ista potestas: ergo. 2. Poenitens tenetur in quantum est ex se efficere non secus ac Confessarius, ut Sacramentum sit non mutilum, sed integrum; atque satisfactio est de integritate Sacramenti: ergo. 3. Unusquisque tenetur parere Judici rectè judicanti: ergo.

**D**ices. Liberum est poenitenti hic vel in Purgatorio satisfacere: ergo. R. D. Ant. Ex suppositione, quòd non subjiciat peccata sua clavibus, Tansat Ant. Ex suppositione, quòd peccata subjiciat clavibus, N. propter rationes allatas. Repones. Poenas Purgatorii redimere per poenas hujus saeculi est privilegium Poenitentis concessum: ergo potest ipsi renuntiare. R. D. Ant. Est privilegium purum in suppositione praeced. solutionis, N. est privilegium mixtum praecipuo parendi justè sententiae, & efficiendi integrum Sacramentum, C. & N. Conseq. Patet ex dictis.

**D**ixi 1. *Sub gravi peccato*. Scio, quosdam censere non esse plusquam veniale recusare, aut omittere levem satisfactionem pro solis venialibus, aut mortalibus jam confessis injunctam; quia, inquit, est levitas materiae. Verum id multis & nobis non probatur; quamvis enim sit secundum se materia levis, non est tamen levis respectu Sacramenti, cui gravi injuria irrogatur, quòd sine causa maneat mutilum, & carens sua principali parte integrante, ut jam diximus art. praeced. Aliud euset, si adimpleta satisfactio pro majori parte, aliqua ejus levis pars omittatur.

**D**ixi 2. *Rationabilem poenitentiam*; irrationabilem enim vel apertè

apertè injustam vel impossibilem, ut jejunium in pane & aqua pro verbo otioso, aut peregrinationem infirmo decumbenti, nec acceptare, nec adimplere tenetur.

**S**ed quid, si Poenitens oblitus fuerit poenitentiae injunctae? R. Debet eam inquirere a Confessario, si non longius distet. Quòd si ipse Confessarius non recorderetur, censetur facta ipsi impossibilis, adeoque ab ea excusatur; sicut ab observantia aliarum Legum excusatur, qui eas ignorat. Neque tenetur sua peccata eidem Confessario, vel alteri repetere pro nova satisfactione obtinenda, etiamsi oblitus fuerit culpabilis, puta, quia diutius distulit; quia nemo tenetur bis confiteri peccata directè remissa, sed sufficit, si oblivionem culpabilem confiteatur. Non eximitur tamen ab aliqua alia satisfactione, sibi ipsi prudenter attentis peccatis injungenda; quia debet Deo satisfacere. Consulunt quidam, ut in proxima Confessione petat sibi injungi aliam poenitentiam congruam peccatis, qualia confiteri solet.

**D**ico 2. Ipse Poenitens non potest commutare poenitentiam a Confessario injunctam, nequidem in aliam difficiliorem. Ratio est; quia opus a Confessario impositum virtute clavium elevatur ad hoc, ut sit opus sacramentale & satisfactorium ex opere operato, quale non potest esse illud a Poenitente subrogatum: undè maneret mutilum Sacramentum. Adde, quòd inferior non possit commutare etiam in melius opus a lege, seu superiore praecipuum, ut patet in praecipis, seu legibus de jejunio, confessione, &c. ergo similiter. Et hinc patet disparitas de voto, quòd votens potest in melius commutare; quia votum non elevatur ad esse sacramentale, & idem est votens & votum mutans.

**D**ico 3. Nullus Confessarius sive idem, sive alter, potest satisfactionem mutare extra Confessionem: tum quia impositio satisfactorii pro peccatis confessis est actus jurisdictionis & potestatis clavium, qui non nisi in solo foro conscientiae exercetur: tum quia satisfactio non foret sacramentalis, ideòque maneret mutilum Sacramentum.

**D**ico 4. Idem Confessarius potest mutare satisfactionem, eodem Sacramento moralitè durante; quia tunc commutatio censetur pertinere ad idem iudicium, & intrà illud fieri, ut si, antequam discedat poenitens, inmemor sit poenitentiae, aut si discussus statim redeat. Quidam longiore moram plurium horarum, aut dierum assignant, sed sine fundamento. Eodem vero Sacramento non amplius moralitè durante, non potest idem Confessarius mutare poenitentiam in alia Confessione, nisi iteretur & prior Confessio, saltem in communi, & absolutio, propter rationes 3. Conclusionis; quia scilicet alia injunctio satisfactorii pro prioribus peccatis nunc non confessis non foret actus judicialis, nec ipsa satisfactio sacramentalis.

**D**ico 5. Alter Confessarius, sive superior, sive inferior, potest ex justa causa mutare satisfactionem injunctam a priori Confessario, si tamen habeat aequalem jurisdictionem in ea peccata & ipsi ex integro repetatur prior Confessio. Est praxis communis, quam firmat auctoritas S. Raymudi, S. Antonii & omnium ferme Theologorum; quorum ratio est, quòd, cum Christus instituerit hoc Sacramentum pro bono animarum, & ad id quandoque requiratur, quòd mutetur satisfactio injuncta, praesumitur, Christum hanc potestatem Sacerdotibus contulisse. Confirm. argumento ad hominem. Pauci, qui tenent sententiam contrariam, concedunt hanc potestatem Superiori respectu poenitentiae injunctae ab inferiori; atque supposita sufficienti jurisdictione inferior est aequalis potestatis in hoc Tribunali cum Superiori; aequalem enim potestatem uterque accepit in sua ordinatione: ergo.

Si dicas, indè sequi, quòd par in parem exerceat jurisdictionem, quam non habet. R. N. Sequelam; non enim secundus Confessarius exercet jurisdictionem in primum, sed in poenitentiam, cui ex institutione Sacramenti liberum est eadem peccata secundo Confessario subjicere, de iis ab eo judicari & absolvi mediante satisfactione, qua posita cessat obligatio prioris satisfactorii, cum pro iisdem peccatis non tenetur ad duplicem satisfactionem; sique prior sententia non revocatur propriè & directè, quòd esset exerceo jurisdictionem in ipsam, sed indirectè & improprie, ex positione scilicet sententiae. Neque etiam sequitur, quòd primum Sacramentum maneat mutilum; quia, cum secundum sit correctio primi, utrumque censetur quodam modo unum, saltem in ratione sententiae vindicativae, ita quòd pro utroque valeat una satisfactio. Vel dicendum, Sacramentum non censeri mutilum, nisi quando privata satisfactio debita; in nostro autem casu non debetur primo Sacramento; quia, ut supponitur, secunda sufficit pro vindicatione peccatorum.

**D**ixi 1. *Ex justa causa*: quia non censetur hae potestas a Christo collata in destructionem, sed in aedificationem. Justa causa autem censetur necessitas, utilitas notabilis, gravis difficultas in adimplenda priori poenitentia, periculum transgressivis, excessus evidens prioris poenitentiae, &c. quibus in casi-

bus nedum potest, sed etiam aliquandò debet prudens Confessarius priorem poenitentiam, poenitente licet non postulante, commutare.

**D**ixi 2. *Si tamen habeat aequalem jurisdictionem in ea peccata*. Multorum enim sententia est, quòd, si secundus Confessarius non habeat jurisdictionem in reservata, non possit mutare poenitentiam, pro reservata a primo Confessario impositam: quia, licet, facta legitima Confessione peccatorum habenti jurisdictionem, desinant esse reservata, sic quòd absolvi possint a communi Confessario (& hoc est fundamentum oppositae sententiae), non tamen, sic desinunt esse reservata, ut poenitentia injuncta a Superiore, seu priori Confessario, possit immutari a communi Confessario; quia peccata reservantur, non solum ut difficultate absolutionis obtinendae ab illis homines deterreantur; sed etiam, ut a peritioribus medicis morbi periculosiores curentur, ut loquitur Trid. qui finis frustraretur, si communis & imperitior Confessarius corrigeret & mutaret poenitentiam Superioris & peritoris. Haec saltem sententia videtur communior, & est tutior.

**D**ixi 3. *Et ipsi ex integro repetatur Confessio*; quod est probabilius contra quosdam, qui existimant sufficere, si poenitens declarata priori poenitentia afferat rationes, propter quas est sibi nimis gravis. Ratio est 1. Quia in tantum secundus Confessarius potest mutare poenitentiam, in quantum potest eandem causam judicare, quòd fieri non potest, nisi peccata exponantur. 2. Quia incognita causa non potest convenientem satisfactionem injungere, sive pro expiandis praeteritis peccatis, sive pro cavendis futuris.

Petes, utrum, facta commutatione poenitentiae, liberum sit poenitenti redire ad primam? R. Communis affirmativè; quia ista commutatio tota est in favorem poenitentis, cui cedere potest, & ea videtur intentio Confessarii.

## ARTICULUS V.

Utrum unus possit pro altero satisfacere?

**S**atisfactio, (Suppl. q. 13. art. 2. o.) ut jam saepe dictum est, ad duo ordinatur, scilicet ad solutionem debiti, & ad medicinam pro vitando peccato. Item considerari potest, vel ut sacramentalis, vel ut extrasacramentalis.

**D**ico 1. (*Ibid.*) Abstrahendo a satisfactione sacramentali & extrasacramentali, eamque spectando, ut solutionem debiti, unus potest pro altero satisfacere; spectando autem ut medicinam, non potest, nisi pro accidens. Prima pars, quam negant haeretici, constat ex illo Galat. 6. *Alter alterius onera portate*, & ex 2. Cor. 8. ubi Apostolus hortatur Corinthios ad sublevandam suis eleemosynis corporalem satisfactionem pauperum, ut subleventur in sua spiritali paupertate per abundantiam & bona opera sanctorum. Item ex articulo Symboli, quo profitemur Communionem Sanctorum. Insuper

Prob. ratione Theologica. Omnes sumus unam in Christo, & unius corporis, ipso Christo capite, membra; atque in corpore humano unumquodque membrum non in suam tantum, sed etiam in aliorum utilitatem operatur: sic oculum non sibi tantum videt, sed & pedibus & toti corpori; pedes oculis ambulat, &c. ergo similiter in corpore mystico Ecclesiae, juxta illud Davidis, *Particeps ego sum omnium timentium te & custodientium mandata tua*. Confirm. (*Ibid.* in arg. s. c.) Charitas magis potest apud Deum quam apud homines; atque unus potest apud homines ex alterius amore, debitum ejus solvere: ergo multo magis id in divino iudicio fieri potest.

Prob. 2. pars. (*Ibid.* a.) Sicut in corporalibus medicina accepta in uno corpore non sanat morbum alterius, nec illi prodest; ita in spiritualibus satisfactio unius ut medicina non prodest alteri, sic ex jejunio unius v. gr. caro alterius non dematur, nec ex actibus bonis unius alter contrahit habitum bene agendi. Potest tamen, & est 3. pars conclusionis, unus mereri alteri de congruo gratiam, quae est efficacissimum remedium pro vitandis peccatis, sed hoc est magis per modum meriti, quam per modum satisfactionis.

**D**ices 1. contra 1. partem. Apostolus Galat. 6. dicit, *Unusquisque onus suum portabit*: ergo, R. quòd, cum Apostolus ibidem paulò ante dixerit: *Alter alterius onera portate*, nec sibi contradicat, manifestum est ipsum loqui de diversis oneribus. Igitur in posteriori loco objecto loquitur de onere reddendae rationis; quia unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo: in priori autem loco loquitur de oneribus mutuae charitatis, secundum quam alter alterum hic javare debet. Ita Aug. de consensu Evang. c. 30.

**D**ices 2. Unus non potest alteri mereri gloriam beatitudinis: ergo nec pro altero satisfacere. R. Dato Ant. N. Conseq. (*Ibid.* ad 1.) Disparitas est, quòd praemium essentiale, seu gloria beatitudinis, ex divina ordinatione reddatur secundum meritum



tum & dispositionem cuiusque, quia secundum capacitatem videndum erit plenitudo visionum: & ideo, sicut unus non disponitur formaliter per actum alterius, quia dispositio debet esse in disponibili, ita unus alteri non meretur premium essenziale, nisi meritum eius habeat efficaciam infinitam, sicut Christi; sed poena temporalis peccato debita post culpae remissionem non taxatur, nec redditur secundum presentem dispositionem eius, cui debetur; quia quandoque ille, qui nunc est melior, habet maioris poenae reatum propter plura peccata remissa: & ideo quantum ad poenae remissionem unus alteri potest mereri, & actus unus effici alterius, mediante charitate, per quam omnes unum sumus in Christo. Omisi Ant. Quia, si intelligatur de merito de congruo & mediato, potest unus alteri gloriam mereri, in quantum iustus potest de congruo mereri alteri gratiam, qua mediante, iste alter meretur gloriam.

Dices 3. Unus non potest pro alio conteri, aut conlteri: ergo nec satisfacere. R. N. Conseq. (Ibid. ad 2.) Disparitas est, quod cum contritio & confessio directe ordinentur contra culpam, pertinent ad dispositionem ipsius hominis; unus autem non disponitur per actum alterius, ut iam dictum est. At poena temporalis, contra quam ordinatur satisfactio, non taxatur secundum presentem dispositionem illius, cui debetur, ut etiam dictum est in solutione praeced.

Dices 4. Nemini redundant sua bona opera, juxta illud 1. Petr. 4. *Iustus via salvabitur*. Et Matth. 25. *ne forte non sufficiat vobis & vobis*: ergo. R. D. Ant. Nemini redundant sua bona opera hoc sensu, quod quisque pro meritis recipiat plenam mercedem, C. hoc sensu, quod unus non possit pro altero mereri, vel satisfacere, N. Nam potest merendo sibi alteri mereri; item potest offerre pro altero opus satisfactorium, quod secundum modum, quem Deus servat in poenis, non requiritur ad proprium peccatorum satisfactionem; vel si requiritur, ex fervore tamen charitatis potest alteri applicare, in quo licet forte sibi non satisfaciat, sibi tamen meretur. Ad locum Petri sensus est: *Iustus vix, id est, exere & per multos labores & multas tribulationes salvabitur*. Ad locum Matth. ibi agitur de ultimo iudicio, in quo peccatores frustra implorabunt opem iustorum. Quod dicitur, *Ne forte sufficiat vobis & vobis, ite potius ad vendentes, &c.* additum est ad ornatum Parabolae. Non enim tunc dubitabunt iusti, sed certissime scient sua bona opera sufficere.

Dico 2. Satisfactio sacramentalis uni injuncta non potest quia sacramentalis per alium impleri: quia, juxta Florent. & Trid. Sess. 14. cap. 3. materia hujus Sacramenti sunt actus poenitentis, qui virtute clavium ad esse Sacramenti elevantur; at qui satisfactio, per alium adimpleta, quamvis sit poenitentis hoc sensu, quod eius nomine, & ipso petente fiat, simpliciter tamen non est eius actus: ergo non est materia elevabilis virtute clavium ad esse Sacramenti, nec consequenter satisfactio qua sacramentalis. Dixi: *Quia sacramentalis*; quia, licet Confessorius possit ex legitima causa injungere poenitentiam satisfactionem per alium ad ejus petitionem exequendam, v. gr. peregrinationem, opus tamen satisfactorium, ut est ab alio, non est sacramentale, seu pars Sacramenti, sed solum ut fit ex petitione poenitentis, seu formaliter ut ab eo imperatum; sicque ipsa petitio est formale in hac satisfactione; opus autem alterius materiale.

Porrò non debet esse facilis Confessorius in transferenda satisfactione ad alium: tum quia cap. *Omnis utriusque sexus* dicitur: *Et injunctam sibi poenitentiam propriis viribus student adimplere* poenitens: tum quia satisfactio ordinariè non est solum in solutionem debiti, sed in remedium peccati futuri, sub qua ratione unus non potest pro alio satisfacere, ut diximus. Et ideo, quando Confessorius nihil explicat, sed simpliciter poenitentiam injungit, semper censendus est obligare poenitentem, ut per se illum adimpleat, maxime si sit actus omnino personalis, & quia talis afflictivus. Poenitens verò, qui sine licentia Confessorii curaret suam poenitentiam per alium adimpleri, graviter peccaret, nec satisfacere. Unde merito Alexander VII. 24. Septembris 1664. condemnavit hanc propositionem: *Poenitentia propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat*. Dixi: *maximè, si sit actus omnino personalis, & quia talis afflictivus*: quia aliis videtur posse poenitentiam alteri committere; ut si debeat pro satisfactione dare eleemosynam, perinde est si per se vel per alium mandatarium id faciat, etiam si mandatarium poenitentiam mandanti daret pecunias ad eleemosynam, ac proinde poenitens censetur semper in hoc principalis minister.

Petes 1. Utrum etiam pro Defunctis in Purgatorio aliquis possit satisfacere? R. affirmative; quia hi etiam pertinent ad communionem Sanctorum.

Petes 2. Utrum satisfactio unius pro alio sit de condigno? R. cum Sylvio, quod de congruo tantum acceptetur a Deo,

sed posita illa acceptatione est de condigno; quia, ut supponitur, satisfaciens offert aequalitatem ex parte pretii, seu materiae.

Petes 3. Utrum aliquis satisfaciendo pro altero satisfaciat etiam pro se? R. (Ibid. ad 3.) quod, si agatur de satisfactione extrasacramentali, sibi meretur, sed non sibi satisfaciat, quia in satisfactione, seu solutione debiti attenditur quantitas poenae, & in merito charitatis radix. Unde ille, qui ex charitate pro alio meretur scilicet merito congrui, etiam sibi magis meretur: non autem qui pro alio satisfacit; etiam pro se satisfacit, quia illa quantitas poenae non sufficit ad utrumque peccatum: tamen satisfaciendo pro alio sibi meretur aliquid majus, quam sit dimissio poenae, scilicet vitam aeternam. Si vero agatur (Quodl. 3. q. 13. art. 1.) de satisfactione sacramentali, satisfaciens pro alio etiam satisfacit pro se; quia opus, quod quis facit ex injunctioe Sacerdotis, dupliciter valet poenitenti, uno modo ex opere operantis, alio modo ex opere operato, seu ex vi clavium: Poenitens itaque, jussus a Confessario tale opus facere pro vivis, vel defunctis, illis applicat valorem sui operis ex opere operantis, de quo disponere potest; valor autem ejusdem operis ex opere operato sibi manet, utpotè quem pro suo arbitrio alienare non potest.

Unde colliges, opus satisfactorium posse a Confessario imponi pro sublevamine sive vivorum, sive defunctorum. Idque confirmat praxis Confessoriorum, & commendat Catechismus Rom. p. 2. c. 5. n. 63.

## ARTICULUS VI.

Quanta sit satisfactio poenitenti injungenda a Confessario.

## §. I. Praenotanda.

Suppono 1. (Suppl. q. 8. art. 7.) poenam Purgatorii taxari radicaliter a Deo, antequam aliquid de ea remittatur, secundum quantumtatem culpae; quia ista poena ordinatur tantum ad debitum solvendum, & non ad remedium praestandum, sicut ordinatur poena hujus saeculi. Poena autem, quae ordinatur tantum ad debitum solvendum, debet taxari juxta quantitatem culpae, aliquo non servaretur aequalitas justitiae inter culpam & poenam. Non sic de poenis hujus saeculi, quae non solum ordinantur ad debitum solvendum, sed etiam ad remedium praestandum; non enim idem remedium, etiam aequaliter infirmis, est praestandum, ut dicemus modò. Dixi: *radicaliter, & antequam aliquid de ea remittatur*; quia secundum quod plus, vel minus remittitur per Sacramentum, vel per alias satisfactiones hujus vitae, minus restat in altera solvendum.

Suppono 2. olim per Canones, qui dicuntur Poenitentiales, certis peccatis certas fuisse taxatas poenitentias, praesertim quoad tempus. Hos canones collegerunt Auctores, partim ex Conciliis, tum generalibus, tum particularibus; partim ex Rescriptis & Decretis romanis. Pontificum, partim ex SS. Patribus. Multi referuntur in fine Decreti Gratiani, longè plures a Natali Alex. Theol. moral. 1. 2. c. 6. art. 7. & ab aliis. Paucos hic referam, quae peccata frequentiora spectant.

## Canones Poenitentiales.

Primus, qui Fidem Catholicam deseruerit, poenitentiam aget 10. annis.

Secundus, qui diabolicas incantationes fecerit, poenitens erit annos 7.

Tertius, qui magos consuluerit, in poenitentia erit annos 5.

Quartus, Si quis Clericus, vel Monachus, postquam Deo voverit, ad saeculum redierit, poenitentiam aget annos 10. quorum tres in pane & aqua.

Quintus, quicumque sciens pejeraverit, 40. dies in pane & aqua & 7. sequentes annos poeniteat, & nunquam sit sine poenitentia.

Sextus, Si quis per capillum Dei, aut per caput ejus juraverit, si semel sciens fecerit, poenitens aqua & pane 7. dies vicietur: si 2. ac 3. monitus idem fecerit, dies 15.

Septimus, Si quis Deum, vel B. Mariam Virginem, vel aliquem Sanctorum publice blasphemaverit, praesertim diebus Dominicis 7. in manifesto, dum Missarum solennia aguntur, ster; ultimore ex illis die sine pallio & calcamentis, ligatus corrigia circa collum; septemque praecedentibus feriis sextis in pane & aqua jejunet; Ecclesiam nullo modo tunc ingressurus.

Octavus, qui opus aliquod servile die Dominico, Festoque fecerit, poenitentiam aget 3. dies in pane & aqua.

Nonus, Si quis ante Ecclesiam, vel die Festo saltationes fecerit, emendationem pollicitus, poenitentiam aget 3. annos.

Decimus, Si quis pransus Missae interfuerit, poenitens erit dies 3. in pane & aqua.

Un-

## §. II. Resolvitur Quæstio.

Undecimus, Si quis in Ecclesia confabuletur, cum divina font, poenitens erit dies 10. in pane, & aqua.

Duodecimus, Si quis jejunia a S. Ecclesia indicta violaverit, poenitentiam aget dies 20. in pane, & aqua.

Decimus-tertius, qui parentibus maledixerit, 40 dies poenitens sit in pane, & aqua; qui injuria affecerit, 3. annos; qui percusserit, annos 7.

Decimus-quartus, Si qua mulier sponte abortum fecerit, poenitentiam aget 3. annos; si noleus, quadragesima 3.

Decimus-quinthus, Si quis sponte hominem occiderit, ad poenam Ecclesiae semper erit; & in obitu communionem recipiet: si casu necaverit, poenitentiam aget annos 7. secundum alium Canonem, poenitens erit 40. dies in pane, & aqua: & quinquentio communionem privabitur.

Decimus-sextus, Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum praecerit, poenitentiam aget uno anno per legitimas foras.

Decimus-septimus, Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, triduo poenitentiam aget in pane, & aqua; Clericus unius anni, & mensium 6.

Decimus-octavus, Si Laicus solutus cum femina soluta concubuerit, poenitens erit annos 3.

Decimus-nonus, vir solutus si cum alterius uxore adulterium commiserit, poenitentiam aget annos 7. mulier soluta cum alterius marito adulterium patras, poenitentia afficietur decenniali.

Vigimus, qui cum uxore sua turpiter concubuerit, poenitens erit 40. dies.

Vigimus-primus, qui puellam, aut mulierem libidinosè obtraxerit, si Clericus est, 5. dies; si Laicus est, 3. dies poenitentiam aget: Monachus, vel Sacerdos a Ministerio suspensus, poenitens erit dies 20.

Vigimus-secundus, qui incestum fecerit, aliqui Canones 7. alii 10. alii 12. alii 15. annorum poenitentiam constituunt.

Vigimus-tertius, qui concupiscit mente, sed non potuit, dies 10. poenitentiam aget.

Vigimus-quartus, si que mulier cerussa, aliove pigmento se oblitit, ut aliis viris placeat, poenitentia afficietur annorum 3.

Vigimus-quinthus, Clericus fortum capitale faciens, septenni poenitentiam explebit, Laicus quinquentiis. Si quis furtum de re minori semel, aut bis fecerit, restituta re, poenitentiam aget annum unum.

Vigimus-sextus, Si quis usuras exegerit, poenitentiam aget annis 3. uno in pane, & aqua.

Vigimus-septimus, qui affirmaverit verum esse, quod falsum est, poenitentiam aget ut adulter, ut homicida.

Vigimus-octavus, Si quis contra proximum lingua lascivus erit, triduana poenitentia explebitur.

Vigimus-nonus, si quis facile detraxerit, falsumque in hoc dixerit, poenitens erit dies 7. in pane, & aqua.

Trigesimus, qui falsitatem fraude in ponderibus, & mensuris admisit, poenitens erit in pane, & aqua dies 20.

Trigesimus-primus, rem alienam nefariè concupiscens, avarusque poenitens erit annis 3.

Trigesimus-secundus, si quis concupiscit fornicari; si Episcopus, poenitens erit annos 7. si Presbyter 5. si Diaconus, vel Monachus 3. e quibus unum in pane, & aqua: si Clericus, aut Laicus annos 2.

Trigesimus-tertius, pro crimine capitali, eoque mortali, poenitentia 10. annorum indicitur.

Trigesimus-quartus, Sacerdos, imprudenter ebrius factus, pane, & aqua poenitentiam aget dies 7. si negligenter dies 15. si per contemptum dies 40.

Trigesimus-quinthus, qui humanitatis gratia alium inebriare cogit, poenitentiam aget 7. dies.

Trigesimus-sextus, si gutta sanguinis Christi in terram cadit, Sacerdos in poenitentia sit 50. diebus; si super altare, & ad unum annum transit, diebus 2.

Trigesimus-septimus, qui vir faciem suam transformaverit habitu muliebri, & mulier habitu viri, emendationem pollicitus, annis poenitens sit 3.

Ceterum hos Canones referimus, non quod Confessarii adstringantur ad injungendas poenitentias secundum illorum praescriptum, & rigorem, si quidem, nec antiquitus semper strictè observarentur, ut videbimus modò; & aliunde refrigerante charitatis fervore de hac severiori disciplina Ecclesia remiserit, ne quos vult salvare per poenitentiam, difficultate poenae terrent desperet, & damnetur; sed, ut, quando id e re judicaverint, eos poenitentibus exponant, quo & gravitatem suorum peccatorum magis intelligant, & efficacius ea detestentur, & ad congruam satisfactionem facilius disponantur.

Dico 1. (Suppl. q. 18. art. 4. o.) Poenitentia injungenda non est ita in arbitrio Sacerdotis posita, ut, seculis omni lege, & regula, eam pro mero libitu injungat; sed ita quod, non semper servata lege Canonum, & gravitate criminum, possit eam injungere secundum arbitrium, prudentiam, & divino instinctu regulatam, attentis variis circumstantiis negotiorum, & personarum.

Prob. 1. Ex Jure causa 26. q. 7. cap. *Tempora* 2. ex S. Leone Ep. 79. nunc. 129. ad Nicetum Episcopum Aquilejensem, ubi dicitur: *Tempora poenitentiae, habita moderatione, constituenda sunt tuo iudicio, prout conversorum animos prospexeris esse devotos, pariter etiam habens aetatis senilis intuitum, & periculorum quorumcumque, aut aegritudinis respiciens necessitates*. Ibid. cap. *Poenitentibus* 5. ex Concil. Carthag. 3. ann. 424. *Poenitentibus, secundum differentiam peccatorum, Episcopi arbitrio poenitentiae tempora decernantur*. Ibid. cap. *Hoc sit* 8. ex S. Basilio in Reg. Brev. interrogat. 106. & 194. quamvis aliter citetur apud Gratianum: *Hoc sit in iudicio positum eorum, qui praesunt, vel quanto tempore, vel quali modo poenitere debeant, qui delinquant; quia aetas, & conditio multum haberi facit differentiam poenae*. Similiter cap. *Mensuram* de poenit. d. 2. Ex quibus habes, quod iam observavi, nec antiquitus Canones poenitentiales secundum litteram, & rigorem fuisse observatos; sed, ut legitur in Prologo ad illos Canones apud Gratianum, sic fuisse intellectos, *Quod instituerent in generali, quomodo est poenitentia imponenda, sed descensum ad singularia Presbyteris discretis relinquere, qui considerarent circumstantias personarum, attendentes ad Canones sicut ad Regulas directivas*.

Prob. 2. Ex Concilio Trid. sses. 14. cap. 8. *Debent*, inquit, *Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & poenitentium facultate, salubres, & convenientes satisfactiones injungere; ne, si forte peccatis conveniant, & indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*. Similiter S. Carolus in Instit. Confessoriorum: *In satisfactionibus, inquit, vel poenitentibus injungendis Confessorius circumspiciat esse debet, ne adeo levis ille sint, & faciles, ut potestas clavium in contemptum veniat, ipseque particeps fiat, & consors aliorum peccatorum; neque nimis graves, aut longè jubeantur, ut vel recitent eas exequi, vel etiam acceptas habeant, postea tamen plenè non perficiant*.

Prob. 3. ratione. (Ibid.) Poenae satisfactoriae injungendae sunt ut medicinae; atqui prudens Medicus non semper, & omnibus dat medicinas ab arte determinatas, quia non semper, nec omnibus competunt; neque semper dat ita efficaces, quae ad morbi curationem omnino sufficiant, ne propter debilitatem naturae majus periculum oriantur; sed eas variat, & distribuit secundum arbitrium prudentiam, & scientiam medicinae regulatam: ergo similiter Medicus spiritualis, seu Confessorius non debet semper injungere poenas satisfactorias in Canone determinatas, quae non semper omnibus competunt; nec semper totam poenam, quae uni peccato debetur, ne infirmus aliquis ex magnitudine poenae desperet, & a poena totalitè recedat: sed eas debet injungere secundum arbitrium, prudentiam, & divino instinctu regulatam, attentis omnibus circumstantiis negotiorum, & personarum; item acerbitate contritionis, erubescens, &c. Confirm. (Ib. q. 8. art. 7.) Poenae satisfactoriae sunt medicinae, non solum pro sanandis praesentibus vulneribus, sed etiam pro cavendis futuris; atqui minus peccatum aliquando difficilius vitatur in uno, puta in juvene, quam in senè; aliquando est periculosius in uno, puta, in Sacerdote, quam in Laico: item multitudo potest esse magis prona ad minus peccatum, a quo per poenam unius est deterrenda, quam ad aliud gravius: ergo idem, quod ante.

## CONSECTARIA.

EX his colliges 1. Confessorium in poenitentia injungenda debere attendere non solum ad qualitatem, & quantitatem majorem, vel minorem peccatorum, sed etiam ad periculum majus, vel minus relapsus, aut scandali, ad rationem contritionis, & erubescens, per quam plus, aut minus poenae remissum est, ad poenitentis facultatem, & conditionem, hoc est, ad aetatem, sexum, coactivum, & infirmitatem, sive corporalem, sive spirituales. Unde non sunt injungenda jejunia infirmis, aut operificibus, gravi, & continuo labore defatigatis; non ea opera, per quae revelaretur Confessio, ut simul conviventibus, v. gr. filiis familias, abstinentia a carnibus, potus in aqua, &c. non diuturnae orationes servis, & ancillis in fraudem temporis, quod in obsequium dominorum impendere debent. Minuenda est poenitentia, quando Confessorius praesentis, poenitentem eam non accepturum, aut acceptam non perfecturum.

Colliges 2. In hac materia incedendum esse media via inter

Rit

utrum-



rumque extremum nimii rigoris, & nimie laxitatis; magis tamen sectandam esse misericordiam, quam severitatem. Tum, quia juxta Trid. loco cit. Sacramentum poenitentiae non est forum iurae, & poenarum, sed veniae, & misericordiae; & causa 26. q. 7. cap. Alligant legitur: Si erramus modicam poenitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Ubi enim paternitas largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus, ut quid Sacerdos eius austerus? Vis apparere Sanctus? Circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus. Tam quia satius est, quod poenitens cum leviori poenitentia adimpleta residuum poenae luat in Purgatorio, quam graviore neglecta damnetur in inferno. Unde 2. Antoninus p. 3. tit. 17. c. 20. dicit: Confessor nullo modo debet permittere peccatorem desperatum recedere a se, sed potius imponat ei unum Patet, vel aliud leve: Erit Si Sacerdos non possit gaudere de omnimoda purgatione eius, saltem gaudeat, quod liberatum a gehenna transmitat ad Purgatorium. Ubi tamen Confessarius ex justa causa imposuerit poenitentiam levioris, monet poenitentem per hanc non esse plenè satisfactum pro peccatis, idè quod superest, luendum esse in hoc, vel altero saeculo: ut inde poenitens excitetur ad graviores poenitentiam spontè suscipiendam, & ne ex levitate poenitentiae leviora existimet peccata.

Petes, utrùm Confessarius possit imponere poenitentiam publicam pro peccatis publicis? Respondetur communis, quod non possit vi hujus Tribunalis poenitentiae, quod ex divina institutione est secretum. Si tamen poenitens ex ipso peccato obligationem publicè satisfaciendi contraxit, puta, ad reparandum scandalum, ad injuriam reparandam, restitutionem faciendam, deserendam occasionem proximam, &c. possit, & debet Confessarius hanc obligationem illi declarare, & ad illam implendam cogere; sicque cogere concubinarium ad expellendam concubinam, usurarium ad deserendas usuras, publicum calumniatorem, aut haereticum ad retractandas publicè columnas, aut haereses. Ad hæc enim independentè a præcepto Confessarii ipse jure naturæ tenetur, & ea adimplere debuit, antequam se Tribunali sisteret.

ARTICULUS VII.

Utrùm opera in statu peccati mortalis facta satisfaciunt?

Suppono 1. distinctionem inter meritum & satisfactionem, de qua initio hujus Dissertationis, scilicet, quod meritum respiciat bonum merentis, satisfactio bonum creditoris. Vide. Suppono 2. Quod, sicut distinguitur triplex meritum, nimirum De condigno, quod importat in merente jus justitiæ ad præmium: De congruo strictè, quod importat in merente jus amicabile ad præmium; & De congruo latè, quod non importat in merente aliquid jus ad præmium, sed aliquam tantum decentiam bonitatis & liberalitatis in præmiante ad præmiandum: ita potest distingui triplex satisfactio in ordine ad remissionem poenae; una De condigno, quæ importat in satisfaciente jus justitiæ ad remissionem poenae: secunda De congruo strictè, quæ importat jus amicabile: tertia De congruo latè, quæ importat decentiam ex parte creditoris ad remittendam poenam. Suppono 3. aliquem posse esse in statu peccati dupliciter: 1. dum actu, vel affectu peccat. 2. dum, transacto actu, & deposito affectu ad peccatum, remanet adhuc macula, & reatus poenae æternæ; de quo dùm de peccatis. His suppositis.

Dico 1. (Ib. q. 14. art. 2.) Opus, in actu, vel affectu peccati factum, nullo modo satisfaciunt. Prob. 1. (Ibid.) Opera nostra non sunt satisfactoria apud Deum secundum eorum æquivalentiam, sed secundum ejus acceptationem; atque absurdum est dicere, quod Deus acceptet opera illius, qui actu, vel affectu ipso offendit: ergo. Prob. Ant. 1. ex Trid. Sess. 14. cap. 8. ubi dicit, satisfactiones nostras vim habere a Christo, ab illo Patri offerri, & per illum acceptari a Patre: & c. 9. dicit esse munificentiam, & amoris divini argumentum, quod Deus satisfactiones nostras acceptet. 2. Poenæ hujus vitæ, quantumvis graves, nullatenus æquivalent poenæ peccati debitis, & in Purgatorio luendis. 3. Opera nostra sunt Dei, qui est supremus omnium Dominus, eaque variis aliis titulis potest exigere: ergo, ut nobis prosint ad satisfactionem, & redemptionem poenarum peccatis nostris debitarum, debent ab eo acceptari. Nec alia ratio adferri potest, cur animæ in Purgatorio gravissimis poenis, & ferentissimis charitatis, & contritionis actibus non satisfaciunt, & statim non evolvant in caelum, nisi quia, cum sint extrã viam, Deus earum actus, & poenæ in hunc finem non acceptet. Observandum tamen, quod hoc ipso quo Deus viatoribus gratiam sanctificantem confert, acceptet opera ex ea manantia ad meritum, & ad satisfactionem.

Confirm. Conclusio. Satisfactio est opus poenitentiae, & includit studium placandi Deum; atque opus in actu, vel affectu

peccandi neque est opus poenitentiae, neque includit studium placandi Deum, quem de facto offendit: ergo. Unde Eccl. 34. Homo, qui jejunit in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficiet humiliando se?

Hinc sequitur, quod, si sit opus injunctum a confessario in satisfactionem debeat iterari, ut satisfiat ejus præcepto, & integretur Sacramentum.

Dico 2. (Ibid.) Opus, in reatu peccati factum, si, deposito affectu ad peccatum, procedat ex gratia actuali, ut in poenitentibus, satisfaciunt non de condigno, nec de congruo strictè, sed de congruo latè; cum hoc discrimine, quod respectu peccati, quoad culpam dimissi, obtineat aliquam diminutionem poenae; respectu verò peccati, nondum quoad culpam dimissi, disponat tantum ad majorem contritionem, & ut inde Deus in justificatione abundantius cedat juri suo, atque ampliore faciat poenae remissionem.

Prob. 1. pars; Satisfactio de condigno, sicut meritum, importat jus justitiæ ad remissionem poenae, satisfactio de congruo strictè jus amicabile; atque homo in reatu peccati mortalis non potest habere neque jus justitiæ, neque jus amicabile ad hoc, ut Deus ejus opera acceptet ad satisfactionem, & ipsi concedat poenarum remissionem, cum sit extrã gratiam sanctificantem, & charitatem, unde profuit condignitas nostrarum satisfactionum, & amicitia cum Deo: ergo. Prob. 2. pars. Sicut ad meritum de congruo latè sufficit actus, non per quem efficitur, ut agens habeat jus, sed per quem efficitur, ut in dante sit aliquale debitum decentiae secundum ejus bonitatem, & liberalitatem; ita ad satisfaciendum de congruo latè; atque divini bonitatem, & liberalitatem deest, ut operibus satisfactoriis ex sua gratia actuali procedentibus aliquam poenae remissionem concedat pro peccatis, quoad culpam dimissis; pro peccatis verò, nondum quoad culpam dimissis, propter meliorem dispositionem abundantius in ipsa justificatione cedat juri suo, & minorem requirit poenam: ergo. Atque ita docet Auctor his verbis: (Ibid. art. 3. ad 1.) Quod major est contritio, tanto magis dimittit de poena; & quanto aliquis plura bona facit in peccato existens, magis se ad gratiam contritionis disponit, & idè est probabile, quod minoris poenae sit debitor. Et propter hoc debent a Sacerdote discretè computari, ut ei minorem poenam injungat, in quantum invenit eum melius dispositum.

Hinc probabile est, per opus in actu conclusionis satisfieri præcepto Confessarii, nec esse iterandum; quia est aliquo modo satisfactorium. Est saltem sententia communior, & communis sensus fidelium, qui non solum se accusare, quod satisfactionem impleverint extrã charitatem; eoque videtur intentio Confessariorum, præsertim dum poenitentias illi duratas imponunt. Quia tamen non est absolutè certum, Deum acceptare hæc opera ad satisfactionem, consultum est, ut Confessarii aliquam saltem poenitentiae partem statim implendam semper injungant.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. contra 1. conclusionem. Damnati in malo obfirmati satisfaciunt divinae justitiæ: ergo. R. D. Ant. satisfaciunt in poena, C. satisfaciunt pro poena N. Satisfacere in poena est luere poenam in rigore debitam peccato, & a lege taxatam, ut dùm homicida suspenditur; & hoc non est propriè satisfacere, sed satisfati; quia satisfactio dicit commutationem, seu redemptionem poenae per aliquid levius, ut si quis se redimat a poena mortis per multam pecuniarum, aut per aliquid aliud poenale morte inferius. Hoc autem modo non satisfaciunt damnati.

Obj. 2. Qui in actu, vel affectu peccati jejunit; satisfaciunt præcepto Ecclesiae, nec tenentur iterum jejunare: ergo similiter de jejuniis, injuncto a Confessario. R. N. Conseq. Disparitas est, quod Ecclesia præcipit jejuniium quoad substantiam tantum, non sub certo modo, qui cadit sub præcepto: Confessarius autem præcipit jejuniium quoad satisfactionem, & integretur Sacramentum, & redimantur poenae graviores: idque patet ex formula consueta, dicit enim; Pro poenitentia, seu satisfactioe, hoc facies, vel recitabis. Satisfactio autem esse non potest cum actu, vel affectu peccati, ut probatum est.

Obj. 3. S. Th. hic art. 3. ad 3. docet, quod, si ex satisfactione injuncta a Confessario, & peracta in statu peccati, remaneat aliquis effectus, ut ex jejuniis debilitatio corporis, ex elemosyna diminutio substantiae, hujusmodi satisfactio non sit iteranda; secus de satisfactionibus, quæ non relinquunt aliquem effectum in satisfaciente, ut sunt precès: ergo priores satisfactiones saltem debemus excipere. R. N. Conseq. Sensus enim D. Th. non est, quod hujusmodi opera, ex quibus remanet aliquid in agente, peracta in statu peccati, adveniente charitate vivificentur, & valeant ad satisfactionem injunctam a Confessario; cum enim non processerint a charitate, ideoque nunquam

fuerint viva, impossibile est, quod ab ea procedant, & vivificentur; sed sensus est, quod, si effectus, qui ex illis remanent, de novo offerantur Deo in satisfactionem, ista oblato facta in statu gratiae, seu deposito affectu ad peccatum, & ex animo placandi Deum, ab illo acceptentur in aliquam poenae remissionem; ideoque Confessarius, ad quem postea accedit poenitens, possit aliquid minere de poenitentia prius injuncta, & in peccato peracta: & hoc sensu non est integro iteranda. Si verò nihil de ea minuetur, tota est iteranda, non secus, ac illa, quæ nihil post se reliquit.

Obj. 4. contra 2. conclusionem. Poena temporalis peccato remissa debita est finita; opus autem bonum, extrã charitatem factum, maxime si procedat ex gratia specialis auxilii, est alicujus valoris, & ut suppono, poenale: ergo adæquare potest debitum solvendum, adeoque satisfacere de condigno. R. opera nostra nullius esse valoris apud Deum, nisi quantum ab eo acceptantur, ut dictum est. Opera, quæ procedunt ex gratia habituali, & charitate, habent perfectè in se principium hujus acceptationis, ut etiam dixi; quæ verò procedunt ex sola gratia actuali, non habent nisi imperfectè, quatenus scilicet hinc ex motione Spiritus S. cum studio placandi Deum, per ejus inimicos tamèn. Undè, quod a Deo acceptentur in satisfactionem, nullo jure, vel debito, sed ex mera Dei liberalitate, & bonitate contingit.

Repones. Ergo bona purè naturalia etiam poterunt sic de congruo satisfacere; quia etiam possunt acceptari a Deo in satisfactionem. R. N. illationem. Ad Probat. D. Possunt acceptari a Deo in satisfactionem de potentia extraordinaria, C. ordinaria, N. Quia in naturalibus non est etiam imperfectè principium acceptationis divinae, sicut in supernaturalibus ex gratia actuali, quæ providè habent cum remissione debiti aliqualem, licet imperfectam, proportionem, & dispositionem.

Obj. 5. Saltem satisfactio sacramentalis, facta extrã charitatem, habet valorem condignum poenae temporali: ergo de condigno satisfaciunt. Prob. Ant. Valor satisfactiois sacramentalis est valor meritum Christi: hoc ipso enim quod satisfactio est elevata virtute clavium ad esse sacramentale, operatur ex opere operato, hoc est, ex meritis Christi: ergo &c. R. D. Ant. Satisfactio sacramentalis, extrã charitatem facta, habet valorem condignum poenae temporali, absolutè, & quantum est ex se, C. Ant. respectivè ad subiectum, N. Licet igitur merita Christi sint infiniti valoris, non tamèn semper, & omnibus etiam per Sacramenta efficaciter applicentur, sed juxta dispositiones subditorum, & non ponentibus obicem, ut patet in ipsa gratia sacramentali. Dispositio autem ut efficaciter ex debito jure Deus remittat alicui poenam, est amicitia. Undè fit, quod, licet satisfactio Christi sit plenissima absolutè, & in se, ac quoad substantiam, non tamèn quoad efficaciam respectivè, hoc est, pro eo, qui est extrã charitatem, & Dei amicitiam, nisi ex congruo latè.

Repones. Defectus charitatis non est obex characteri sacramentali: ergo nec satisfactio sacramentali. R. N. Conseq. Disparitas est, quod collatio characteris non sit opus amicitiae Dei ad hominem, cum id nihil enim juvet ad vitam æternam; secus effectus satisfactiois, qui est remissio poenae, & relaxatio justis, quod Deus habet ad illum. Undè, cum Deus relaxat aliis, quam amicis, non ex debito, sed ex mera liberalitate relaxat.

Replicabis. Debitor satisfaciunt de condigno creditori dando ipsi quantitatem debitam, sive sit amicus, sive non: ergo similiter ergà Deum. R. N. Conseq. Disparitas est, quod homines in solutione debitorum solum considerant externa, Deus autem intuetur cor. Insuper homo tenetur acceptare quantitatem debiti æqualem: Merita autem Christi, licet Deo sint acceptissima, quantum est ex se, & quoad sufficientiam, non tamèn quoad efficaciam remissionis poenae pro omnibus saltem ex debito, & condigno, sed solum pro amicis, pro aliis autem ex congruo latè.

Obj. 6. Ex nostra Sententia sequitur, quod homo possit in æternum puniri pro peccato remisso, ut si homicida post obtentam veniam, & antè factam satisfactionem fornicetur, eam autem in hoc statu factam, cum sit de congruo latè tantum, Deus non acceptet, sicque moriatur; atque videtur consequens nimis durum: ergo. R. 1. Idem sequi ex omni Sententia, casu quo talis homo, post obtentam homicidii veniam, & lapsus in aliud mortale moriatur, antequam perfectior nullam satisfactionem pro priori peccato. R. 2. N. Conseq. Quia, etsi talis non possit placare Deum, ut illi penam restantem relaxet, nihilominus quando erit passus tantam poenam, quanta restabat, non amplius pro illo peccato punietur, sed solum pro aliis. Neque idè sequitur, quod in inferno sit redemptio, aut quod damnati possint pro peccatis satisfacere Deo, sed tantum quod possint satisfati, ac satisfacere in poena, non pro poena, ut explicatum est superius.

Theol. Billuani Pars Tertia.

Inferes. Ergo per mala, quæ peccatores in hoc mundo patiuntur, etiam satisfaciuntur inchoativè, seu satisfaciunt in poena, adeoque dimittuntur ipsis aliquid de poena Inferni. R. N. illationem; quia, ut aliquis censetur satisfati, seu satisfacere in poena, debet subire poenam a lege, vel a Judice in tale crimen latam, & taxatam, ut patet in iudiciis humanis: hæc autem poena respectu peccatorum a Deo puniendorum est poena Inferni, seu Purgatorii respectivè.

Petes, utrùm homo possit satisfacere pro uno peccato, & non pro alio? R. (Ib. q. 14. art. 1. o.) non posse satisfacere pro uno peccato quoad culpam, & offensam, non pro alio; quia non potest tolli offensam, nisi per redintegrationem in amicitiam Dei, quæ per quodlibet peccatum mortale læditur. Possit verò, si agatur de satisfactione quoad poenam temporalem; quia unicuique peccato certa poenae temporalis mensura est debita, potestque homo applicare suam satisfactionem pro uno, & non pro altero; sicut potest applicare alteri, & non sibi.

ARTICULUS VIII.

De qualitate operum, per quæ fit satisfactio.

§. I. Utrùm Satisfactio fieri debeat per opera poenalia?

Difficultas in aliquo opere potest esse duplex (Suppl. q. 15. art. 1. ad 2.) subjectiva, & objectiva, seu ex genere, & natura operis: sic, quod aliquis cum tædio oret, difficultas, & poena est tam ex parte subiecti, quam ex parte objecti; si autem oret ex fervore charitatis promptè, & delectabiliter, erit tantum difficultas objectiva sine subjectiva. Difficultas objectiva iterum potest considerari dupliciter: 1. quatenus confert ad bonitatem actus virtutis, & sic pertinet ad meritum: 2. ut ex genere suo poenam, & laborem inferat operanti, & sic confert ad satisfactionem, ut dicemus modò.

Dico. (Ib.) Opera satisfactoria debent esse poenalia. Prob. 1. auctoritate. Jcël 2. dicitur: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Matth. 11. Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Trid. Sess. 14. cap. 8. vocat opera satisfactoria, poenas satisfactorias: Et Can. 13. Poenas spontè susceptas, vel a Deo inflictas, vel a Sacerdote injunctas, (Ibid. in arg. s. c.) Greg. 4. moral. c. 21. Justum est, ut peccator tanto majora sibi inferat lamenta per poenitentiam, quanto majora sibi intulit damna per peccatum. Similiter alii Patres.

Prob. (Ib.) ratione. Satisfactio, ut prius dictum est, ordinatur ad præteritam offensam compensandam, & vindicandam, & ad futuram culpam cavendam; atque ad utramque requiritur, quod fiat per opera poenalia: ergo. Prob. 1. Pars Min. Compensatio offensæ Dei fieri debet, per hoc quod subtrahatur aliquid peccatori, quod cedat in honorem Dei; quia homo peccando plus justo sibi tribuit, & in quantum in ipso est, honorem Deo subtrahit; atque hæc subtractio est poenalis; poena enim nihil est aliud, quam privatio boni utilis, vel delectabilis: ergo. Prob. 2. Pars Min. Homo facile non redit ad peccatum, ex quo poenam expertus est. Undè Philosophus 2. Ethic. c. 3. poenas vocat medicinas: & Trid. cit. dicit, quod Poenæ satisfactoriæ magnoperè a peccato revocant, & quasi freno quodam cohercent.

Dices 1. Deus non delectatur poenis nostris: ergo. R. D. Ant. (Ib. ad 2.) Deus non delectatur poenis nostris ut poenæ sunt, C. ut justæ sunt, N.

Dices 2. Quod aliquid opus ex majori charitate procedit, tantò minus est poenale: si ergo oporteat opera satisfactoria esse poenalia, quanto magis sunt ex charitate facta, tantò minus sunt satisfactoria; quod falsum est. R. D. Ant. (Ibid. ad 2.) Quod aliquid opus ex majori charitate procedit, tantò minus est poenale subjectivè, C. Ant. objectivè, & ex genere suo, N. Ant. & Conseq. Sicut igitur in satisfactione consideratur poenalitas, & in merito consideratur difficultas, seu arduitas conferens ad bonitatem actus. Diminutio autem difficultatis objectivæ, seu quæ est ex parte ipsius actus, diminuit, cæteris paribus, meritum; sed diminutio difficultatis subjectivæ, seu quæ est ex promptitudine voluntatis, non diminuit meritum, sed auget. Similiter diminutio poenalitatis subjectivæ, seu quæ est ex promptitudine voluntatis, quam facit charitas, non diminuit efficaciam satisfactionis, sed auget. Itaque, cæteris paribus, opus magis poenale objectivè est magis satisfactorium. Si verò cætera non sint paria, & opus minus poenale fiat ex longè majori charitate, erit magis satisfactorium, quam opus magis poenale minori charitate factum; quia Deus, qui magis pensat affectum, quam effectum, & ex cujus acceptatione pendet satisfactio nostræ, in majorem satisfactionem, & compensationem acceptabit poenam minorem ex majori charitate ipsi oblatam: ita tamèn quòd si per impossibile nullo modo fo-

Rtt 2 ret